



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1620 usque ad annum 1623

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1777**

**VD18 90118855**

§. 6. Moravi, Lusatii & Siletii Protestantes ad Cæsaris absequium revocati.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67344](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67344)

Sæc. XVII.  
A. C. 1620.

§. VI.

*Moravi, Lusatii & Silesii Protestantes ad Cæsaris obsequium revocati.*

*Carafa  
Germ. rest.  
pag. 91.*

Cum vero Moravi se a Bohemis derelictos, & a Cæsareis undique pressos cernerent, Oratores, qui præteritorum veniam, & privilegiorum confirmationem exorarent, ac vicissim fidem obsequiumque sponderent, Viennam ad Cæsarem ablegare decreverant: comperto autem horum consilio, Turrianus Comes Senior, validi subsidii spe facta, illos ab hoc proposito dimovit: Fredericus quoque ex Vratislaviensi suo exilio celeres nuntios ad Moravos decreverat, qui illos datæ fidei admonerent: nec defuit Bethlenius, qui Hungarorum suppetias, quibus patriam tuerentur, proxime se submissurum pollicebatur. Postquam vero die duodecima Decembris Bucquoius Praga Moraviam versus cum Cæsareis copiis moverat, Moravorum legati obviam eidem venire, nuntiantes, se ad omnia ejus iussa fore paratos. Hic vero nil aliud ipsis imperabat, nisi ut Cæsaris clementiæ sese subicerent, quod etiam, Carolo Tschherodino Viennam missio, nulla mora præstiterunt, urbis suæ portis ultro aper-

Sæc. XVII.  
A. C. 1620.

apertis, & Olmutii, Brunæ & alibi restituta Catholica Religione. Ad horum exemplum Lusatii quoque, postquam Saxonæ Elector Forstiam, Lubaviam, & Gubam occupaverat, suam fidem Cæsari obstrinxerunt. Soli Silesii aliquantulum tardius in Cæsaris obsequium rediere, partim scænici sui Regis præsentia animati, partim sectæ suæ ejurandæ periculum veriti: ubi vero, dissimulante Cæsare, Saxonæ Elector de eorum privilegiis, & Lutheranæ Religionis libertate ipsis cavisset, imo etiam, si hæc violari contingeret, auxilium suum pollicitus esset, ultro sese dederunt, licet eos vehementer dehortaretur Jægerndorfius Brandenburgici Electoris Frater, qui in Silesia adhuc omnia perturbabat. Paulopost civitates Imperiales Cæsari victoriam gratulatæ, se suaque omnia ad ejus obsequium detulerunt, imo Argentoratenses, Norimbergenses, & Ulmenses magnam auri vim ultro Cæsari obtulere, ut hic militi de stipendiis satisfacere, & victoriam multo felicius prosequi posset. Præterea Spirensis Episcopus Udenheimii propugnaculum, quod Palatinus injuste detrui jussit, annuentibus Electore Moguntino & Bavariæ Duce hoc anno restauravit.